

DIVINA ADFVLGENTE GRATIA,
EXERCITIVM ACADEMICVM
DE
VESTALIBVS
ROMANORVM,

QVOD
EX CONSENSV AMPLISSIMI SENATVS
PHILOSOPH. IN ILLVSTRI ACADEMIA
ABOENS,
SVB PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI
MAG. HENRICI HASSEL,

ELOQVENTIÆ PROFESSORIS REG. ET ORD.
b. t. DECANI MAX. SPECTABILIS,
PRO

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT
FREDERICVS LIUNGQWIST,
SVDERMANNVS.

IN AVDIT. MAJORI AD DIEM **XII** JVNI A. MDCCXXXII.
HORIS ANTE MERIDIEM CONSVENTIS.

STOCKHOLMIÆ, TYPIS WERNERIANIS.

M
Clarissimo Philosophiae Candidato
DOMINO
FRIDERICO LIVNGQVIST,
Amico Certissimo.

F^{los} Juvenum LIVNGQVIST, Virtutis Cultor ab ovo,
Quas Tibi jam laudes, que Tibi vota feram?
Noxia vitaisti vitiorum Saxa juventæ:
Hinc Tibi Musa novum sternit Honoris iter.
Vestales retegis: vestit Te Vesta corollis:
Tí placuit multum Vesta; Minerva magis.

Festinanter gratulatur
Eric. A. Sundius,

Proë-



Proëmium.



Otitiam quidem summi cuiusdam Entis animis hominum firmiter impressam esse, certissime constat: dolendum vero est, cultum quem unico illi Supremo Numinis debent mortales, apud eos in primis qui revelationis lumine destituuntur, ad innumeros pene fictitios Deos se extendisse. De Romanis tuto hoc affirmare possumus, tot eos admisisse numina quot superstitionis unquam gens sibi fingere potuisset. Notatu tamen dignum est, eos non minus ac alias populos, unum

præcæteris, Jovem puta, ut maximum & tanquam reliquorum Deorum Principem ac Præfumem coluisse. In ordinem etiam Majorum & quidem inter primarios, Deam Vestam collokarunt; de cuius sacerdotibus quæ a Dea cuius sacra curabant Vestales dicitæ sunt; non nulla publicæ luci exponere constitui. Tuum itaque candorem L. H. etiam atque etiam mihi adprecor, velis innoxia hæcce conamina temporis angustia nimis coarctata, pro solita Tua Modestia mitiori subjicere censuræ.

§. I.

Vocis etymologiam expendit.

Circa nominis enodationem quod in fronte dissertationis occurrit, tres discrepantes sententias comprehendimus. Harum prima illorum, qui græcae id originis esse, & a nomine έστια focus derivatum volunt, ut Xenophon paed. & Πρᾶγμα μέν έστια έστια & in proverbio: ἀπό έστιας ἄρχε. Idem Cicero a) rotundo ore fatetur: *Nam Veste nomen ait a Græcis: ea est enim, quæ ab illis έστια dicitur; quibus mox rationem denominationis hisce subnequit: Vis autem ejus ad aras & focos pertinet; & etiam alibi: b) Cumque Vesta, quasi focus verbis, ut græco nomine est appellata (quod nos propè idem græcum interpretatum nomen teneamus)*

a) De nat. Deor. Lib. 2. 27.

b) De leg. L. 2. 12.

mus) concepta fit. Aliam alii fovent sententiam, qui natale illius solum in Chaldæa quærunt, contendentes nomen Vestæ compositum esse ex Chaldæo vocabulo נְשָׁנָה quod ignem denotat, quæ opinio cum præcedente veritati proxime accedit; Quatenus enim supersticiosus hic cultus in ignis affidua aſſervatione præcipue conſtabat, qui mos Chaldæis vetustissimus fuit, vid. Maim. L. III. colligere haud absurdum videtur nominiſis originem cum umbra prisci cultus apud recentioris ævi homines remansisse. Dantur adhuc alii qui vocem hanc in Latio ortam esse afferunt, quorum nonnulli a *vi & ſtando* derivant, ut Ovidius c)

Stat vi terra sua: vi ſtando veſta vocatur.

Nonnulli vero a *veſtiendo* deducunt, jucunde ad rem nomine signatam alludentes; terra quippe inquiunt variis rebus ornata eſt, quæ illam veſtimenti alicuius instar ambiunt. Terram autem Vestæ designatam fuſſe Ovidius hiſce verbis teſtatur:

Et quantum a ſummiſ, tantum ſeceffit ab imis

Terra, Quod ut fiat, forma rotunda facit.

Par facies Templi: nullus procurrit in illo

Angulus. A pluvio vindicat imbre tholus.

Quod vero profani homines perpetuo igne cultum

exhibuerant terræ, hoc inde factum, quia hæc in seigneam vim habet, quæ tanquam anima ejus semper vivit, & varias exserit operationes. Ex jam dictis constare arbitror, diversas has nominis derivationes non sibi invicem oppositas, sed potius subordinatas esse, adeoque in unum quasi ^{an}trum concurrere; quare Lectori integrum, eam ex recensitis eligere, quæ optima videtur.

§. II.

Initium & auctorem cultus ac Templi tradit.

Vtrum primordia hujus cultus Græcis recte adscribenda sint nec ne, nostram heic controversiam non facimus; illud autem fide Scriptorum exploratum habemus, eum ab Ænea primo in Italiam allatum esse, ibique per plures annos etiam ante Romanam conditam viguisse, & post templi exstructiōnem in primis apud Albanos adhuc ejus usum obtinuisse; de qua re inter alios ita Juvenalis:

Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.

De templi autem conditore & solemnium rituum instauratore inter Scriptores non convenit. Nonnulli enim Romulo, alii iterum Numæ Pompilio hoc tribuunt. In priorem sententiam Propertius, Cicero

alii.

aliique ire videntur, quos omnes Dionysius refellit; ostendendo Romulum nullum publicum Vestæ templum extruxisse, nec focum sacri ignis, nec ordinem Vestalium instituisse; sed focos tantum curiales dicasse, ad quos Curiones sacra peragerent; Numæ vero Pompilio hoc adscribendum esse validis argumentis propugnat. Hic enim templum in honorem Deæ Vestæ Romæ primum erexit, virgines ad ministerium legit, certum earum numerum definivit, omniaque ad sacros ritus spectantia constituit. Ædificationem hanc anno urbis quadragesimo, imperii Numæ secundo factam esse, Lipsius tam ex aliis monumentis, quam ex versibus Ovidii sequentibus haud inepte concludit:

*Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cum flammæ custos urbe recepta Dea est.*

Eandem cum Dionyso & Lipsio omnes fere profani Scriptores, qui accuratius hanc rem tractarunt sententiam tuentur.

§. III.

Modum eligendi, numerum & conditionem electarum ostendit.

Præmissis sic generalioribus, ad ea, quæ scopum proprius feriunt pedem promovemus, initium ab elec-

tione

ctione facientes. Qui modum hunc describunt, *capendi* vocabulo communiter uti solent, de cuius significatione ex lege Papia d) certiores reddimur, qua fancitur, *ut Pontificis maximi arbitratu virgines e populo viginti legantur: sortioque in concione ex eo numero fiat: & cujus virginis ducta erit, ut eam Pontifex maximus capiat, eaque Vestae fiat.* Juxta hanc legem Pontifex quidem Maximus debuit, certam eligendi rationem observare; accuratores tamen notarunt id non semper necessarium fuisse. Si enim quis filiam suam sponte Vestae offerret, sine electione adoptabatur, modo donis prius requisitis praedita erat. Ad sacerdotium summa integritate, pudore ac virtute conspicuas virgines (salvis religionum observationibus) interdum etiam coactas fuisse notum est, qui tamen casus ad primordia tantum cultus hujus rectius referunt, quam privilegia ac stipendia sacerdotum nondum adeo bene disposuerant Romani. Omnes quæ eligebantur communi quadam initiationis formula a Pontifice *Amata* dictæ sunt, quod ex libro Fabii Pictoris constat. Caussam denominationis à prima Vestali deducunt, cui nomen *Amata* fuit, quod inde tanquam honoris signum reliquis quæ huic successerunt, impositum est. Primum Numa quatuor crevit, quarum nomina varie à variis redduntur. Hisce duæ deinceps a Servio Tullio, seu quod aliis potius arridet a Tarquinio Prisco additæ sunt, quem nu-

d) Agellius Lib. I. cap. 12.

numerum senarium ad sua usque tempora servatum fuisse Dionysius & Plutarchus scribunt. Neminem fordida stirpe ortam sacerdotali muneri admotam fuisse, nec cuius Parentes alter ambove servitutem subiissent, nec filiam extra limites Italiæ habitantium referunt scriptores. Ad hæc eam capere non licebat, quæ Parentibus orbata, aut vivo patre in avi potestate erat; nec eam quæ lingua balbutiente debili aurium sensu alioque corporis vitio laborabat. A coactione autem Pontificum decreto omnes immunes erant, quarum genitores sacra munia obibant, cujusque soror antea sacerdos erat; nec non cuius pater tres aut supra filios non habebat, vel cuius matri cum viro litigium intercesserat, & quæ extra matrimonium jam vivebat. Sciendum præterea est, sive invita ad sacerdotium cogebatur, sive volens & ex consulto ipsa id affectabat, ætatis rationem semper habitam fuisse; neminemque minorem sex, aut majorem decem annis admissam.

§. IV.

Munus Vestalium siffit.

Inter præcipua munia sacratis virginibus demandata, assidua ignis custodia referenda est; quem sine intermissione alternatim servarent, ac ita in dies alerent, ne sua negligentia extingueretur, sed æternus & sempiternus permaneret. In primis focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum cœle-

fluum siderum, custos imperii flamma vigilaret. Ita Florus e) & Cicero. f) *Virginesque Vestales in urbe custodiunt ignem foci publici sempiternum.* Quotannis autem novus ignis etiamsi non fuisset extinctus, cum anni initio accendebatur, idque prima die Martii a quo annum numerare cœperunt. De annua hac accessione ita Ovidius g).

Addē, quod arcana fieri novus ignis in æde

Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Alii existimant nihil præter inextingvibilem ignem curæ Vestalium concreditum fuisse; alii autem præter hunc fatale quoddam *imperii pignus* ut a Livio h) appellatur, vel *sacra quædam vulgo incognita*, quod Dionysio aliisque magis placet; quæ in penetralibus sacris & penu Vestæ velut in sanctiori recessu diligenter reservarentur, solis Pontificibus & sacerdotibus nota. Hac de re suspicandi haud leve argumentum ab incendio templi sibi arripiunt. In tristi enim hoc casu Lucium Cæciliū Metellum, virum Consularem, Zeli sui erga patriam religionem præclara edidisse documenta tradunt. Nam in ardens penetrale irrumens, arcana illa sacra à Vestalibus deserta, magno cum vitæ discrimine ab igne eduxit. De quo egregio facto Poëta in hunc modum canit;

Dixit, & irrupit: factum Dea raptæ probavit; Pontificisque sui munere tuta fuit.

Hu-

c) Lib. I, 2. f) De leg. Lib. 2. g) Fast. Lib. 3. h)
Lib. 26.

Huic jam fundamento varias conjecturas superstruunt, statuentes alii, arcana hæc sacra in sanctuario tanta cura abscondita, non aliud quam Trojanæ Palladi simulacra fuisse: quæ iterum alii Æneam secum in Italiam adduxisse, & primo Lavini mansisse, deinde Albam, postea autem exstructo templo, Romam transportata fuisse ajunt. Alii denique volunt, hanc effigiem eandem esse, quam Ilienses cœlo delapsam prætendunt. Qui adhuc aliquanto accuratius rem considerasse sibi persuadent, fingunt duo dolia haud ita magna in conclavi reservata fuisse, alterum aperatum & vacuum, alterum plenum & obsignatum. In sacrificando die nocteque Vestales occupatas fuisse, tam ex aliis quam ex Seneca i) videmus. De modo autem & ipsis hostiis harum scriptores narrant; hoc tantum ex Rosino k) haurire licet, non eosdem ritus in hujus Deæ sacrificiis ac in aliorum usurpatos fuisse: *Nam sal inquit rufum tantum offerebatur, quod in calicibus fictilibus asservabatur.* In nummis præterea complurimis in memoriam Vestalium signatis, sacrificia, vasa sacraria & amictus sacerdotalis conspicitur.

§. V.

Privilegia ac stipendia, item insignia sacerdotalia

continet.

Ardua Vestalium officia dignitatibus & præmiis

B 2

haud

i) De provid. cap. 5. k) Rom. antiqu. cap. 12.

haud exiguis grata & jucunda reddebantur. Tanti
 enim honores à populo illis delati sunt, ut majores
 appetere non potuissent. Quam primum ad sacerdo-
 tale munus obeundum adoptata qnædam erat, te-
 standi jus accepit, & ab omni Patris ac Curatoris po-
 testate libera evasit. Suffragia & decreta earum adeo
 sancta & inviolata habita sunt, ut ea corrigendi facul-
 tas nulli Magistratui competeteret. Dissidia & seditio-
 nes optime composuerunt, quarum intercessionibus
 exacerbati civium animi sèpius demulcebantur. Il-
 larum fidei arcana consilia & molimina æternæ quasi
 oblivioni mandabantur. Præter hæc tantæ æstima-
 tionis erant, ut tutelæ & decoris caufsa, exeundi li-
 bertas nemini earum nisi præeunte lictore concessa
 esset. Si obviam quis exeunti veniret, sive Prætor
 sive Consul erat, de via decidere necessum habebat.
 Si quis autem capite plectendus forte occurreret, a
 mortis pœna liberabatur. Oppressis & injuria affe-
 stis commune asylum erant; quare ad se fugientes a
 vi protegere, & à cujusvis Magistratus imperio de-
 fendere poterant. Ut alia prætereamus inter mini-
 mas prærogativas non illa censenda est, quod totum
 vitæ suæ curriculum in cælibatu transfigere non cog-
 rentur, sed absolutis triginta ministerij annis nuben-
 di facultatem haberent; quam tamen conditionem
 ut rem ominosam per paucas amplexas fuisse, narrant
 scriptores. Tota unius cuiusque sacerdotii ætas pro
 di-

diversitate muniorum in tria decennia dispartita erat; in primo discebat, in secundo sacra curabat, in tertio denique alias docebat. Publicis impensis sacerdotes hæ sustentabantur & juxta mentem Lipsii de redditibus agrorum, quos Numa in publicum stipendum iis olim ordinaverat; quod sublevamen Augustus deinde auxit, referente Suetonio l). Ingentibus pariter pecuniae summis suppellectilem earum refectionem interdum fuisse, Tiberii exemplo patet; quem Tacitus m) refert, Corneliae virginis quæ in locum Scantiae capiebatur H. S. vices dedisse, ut victus ita & amictus tam sanctis ministris splendidus erat. Albam vestem eamque prætextam gestabant, capite vittato crinibusque paulum crispatis incedebant; unde Ovidius. n)

Ignibus Iliacis aderam: cum lapsa capillis

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Idem in sculptis imaginibus & variis nummis, ut in §. præcedenti monuimus videre est; plura in hanc rem qui desiderat, scriptores in dissertatione passim citatos consulat.

§. VI.

*Ignis extincti accensionem pœnamque extinguentium
indigitat.*

Perpetui ignis curam ut rei sanctissimæ, a Vestalibus sollicite actam fuisse, ex § 4 audivimus. Hujus

B 3

cultus

l) Cap. 31. m) III. ann. n) Fast. Lib. 3.

cultus ac veneratio in animis superstitione plebis adeo altas egerat radices; ut non rem terrenam, sed donum cœleste custodiri crediderint. Hinc etiam si ministrantium incuria aliquando extingueretur, casum maxime tristem non gravi carentem portento accidisse lugebant. Tunc *publica privataque intermittebantur negotia, eratque iustitium indicium, donec procuratio solemnis institueretur* ait Rosinus o) Causa forsan probabilior assignari non potest, quam quod stulti homines religionis jacturam civitatis ruinam & totius Reipublicæ malum inde frustra timerent. Ignem extinctum ab alio accendere non fas erat, sed opposita attritione duorum asserum novus eliciebatur. Non nulli vero statuunt eum ex radiis solaribus per vas vel æneum vel fictile artifice ad hoc præparatum exceptum fuisse; qui mos cum antea Græcis familiaris fuisset, a quibus Romani cultum & sacros ritus primum mutuati fuerant, & ab illis acceptos sancte retinuere, non sine rationibus hisce pariter adscribitur. Vestalis quæ hoc modo peccabat, verberibus a Pontifice Maximo in conclavi & loco penitus abstruso severe afficiebatur, ut ex Valerio Maximo, Livio, Festo Pompejo aliisque constat.

§. VII.

o) Antiq. Rom. cap. 12.

§. VII.

Supplicium stupratarum ac interitum sacrorum refert.

Vt ignis purus est, ita custodes ejus castæ & impollutæ Virgines essent, qvæ ab omni corporei contagii labे diligenter sibi caverent. Quando autem ante annum ab electione trigesimum adulterii suspicio in aliquam earum conferebatur, conuocato a Maximo Pontifice consilio de facto diligenter inquirerant; cujus si rea convinceretur, miserrima mortis pœna de Collegii sententia eidem constituebatur. Statuto enim die in subterranea fovea ad portam Collinam intra mœnia præparata, viva sepeliebatur; cui aliquantum panis, olei & lactis lagena cum ardenti lucerna apponebantur, quasi dicente Plutarcho: *Corpus abominarentur maximis conservatum ceremoniis fame conficere.* Stupratores pariter gravissimas delicti pœnas sanguine & plagis ad necem usque solvebant. De antiquitate hujus supplicij non omnes consentiunt. Alii illud cum institutione ipsius cultus coëvum esse asserunt; alii a Tarquinio Prisco qui numerum Vestalium auxit introductum volunt, ut Dionysius & Lipsius; antiqua autem lege sanctum fuit, stupratam capite plectendam, vel ad Numæ edictum, lapidatione e medio tollendam esse. Caussas tam horrendæ pœnæ si quæsiveris, probabiliorem Ovidio neminem assignasse credo: ita enim ille:

Sic incesta perit: quia quem violavit, in illam

Conditur: & tellus vestaque numen idem est.

Impura itaq; delinquentium corpora ab ea erant punienda, in quam peccarunt: Vesta nimirum quæ illis idem ac terra quam ut partem læsam viva ilitatum oblatione oportuit expiari. Huic caussæ exemplum proxime ad numero, per quod reliquæ sacerdotes ab ejusmodi nefardis sceleribus deterrerentur. Multa adhuc de miserrimo hoc mortis genere dicenda forent, quum autem plurimi viri eruditæ prolixæ hac de re egerint, crambem bis vel sæpius coctam recoquere superfedeo. Detempore quo superstitionis hic cultus desit, inter omnes fere scriptores convenit ad Christianos nimirum Imperatores eum viguisse. Primum vacillare quidem & ad interitum vergere videbatur; imperio autem Theodosii M. penitus abolitus est; Ille enim tempora paganorum clausit & sacrificia abrogavit. Confer Symachi epistolam & Zosimi librum quintum.

Gloria sit Patri, Nato sit gloria sancto.

Gloria Spiritui, Triadi sit gloria sacre.

THESES MISCELLANÆ.

- §. I. Moderata σκέψις in philosophando non est improbanda;
- §. II. Philosophia eclectica sectariæ præferenda est.
- §. III. Existentia spirituum ex attributis & operationibus probatur;
- §. IV. Morbi intellectus habituales plurimi ex præjudiciis oriuntur.
- §. V. Notitia legis naturalis potentialiter non autem actualiter innata est.
- §. VI. Lingua Hebræa antiquissima omnium mérito censetur,